

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2503

Auteur(s) : Geoffroy Langevin, de Coutances [particulier]

Bénéficiaire(s) : Coutances (hôpital-Dieu)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1279, avril

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Donation par Geoffroy Langevin à l'Hôtel-Dieu de Coutances d'une rente annuelle de cinq boisseaux de froment à Monthuchon.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Le Cacheux Paul, *Essai historique sur l'Hôtel-Dieu de Coutances*, l'hôpital-général et les Augustines hospitalières depuis l'origine jusqu'à la Révolution avec cartulaire général, Paris, Picard, 1895-1899, 2 vol., t. 2, n° CIII, p. 92-93.

Dissertation critique

Avril 1279 ou entre les 1-20 avril 1280 : Pâques tombe le 2 avril en 1279 et le 21 avril en 1280.

Texte établi d'après a

Sciunt omnes tam presentes quam futuri quod nos Gaufridus, dictus Langevin, de Constanciis, et ego Matillis uxor ejusdem, de nostro assensu communi et pro salute animarum nostrarum, parentum et antecessorum nostrorum, dedimus et concessimus finaliter, in puram et perpetuam elemosinam, priori, fratribus et pauperibus Domus Dei de Constanciis, quinque bussellos frumenti annui redditus, ad mensuram de Constanciis, quos Johannes dictus le Cuir, de parrochia de Monte Huccon, nobis debebat et reddebat et reddere tenebatur annuatim, ad festum Sancti Michaelis, super quadam pecia terre continente circa duas acras terre, sita in parrochia predicta de Monte Huccon, inter terram heredum Rogeri dicti Regis ex uno latere et inter terram heredum Gaufridi de Valle ex alio latere et butat ex uno capite ad doitum de Sancto Salvatore et ex alio capite ad terram Henrici Barbe. Percipiendos, habendos et reddendos dictos quinque bussellos frumenti annui redditus de cetero in perpetuum, predictis priori et fratribus et pauperibus dicte Domus Dei Constanciensis et eorumdem successoribus, ad dictum festum, per manum dicti Johannis le Cuir et heredum suorum, seu per manus tenentium de cetero predictam terram, quam eisdem specialiter obligavimus cum homagio dicti Johannis et cum omni alio jure quod ibidem habebamus et habere poteramus et ad nos pertinebat et potest et debet de cetero pertinere nobis aut heredibus nostris quoquo modo, salvis tamen juribus capitalium dominorum ; que jura dictus Johannes et sui heredes tenebuntur de cetero penitus acquitare et deliberare seu tenentes terram supradictam. Et tenemur nos et heredes nostri dictis priori et fratribus et pauperibus dicte Domus Dei et eorum successoribus hec omnia predicta garantizare et deliberare contra omnes bona fide, ita tamen quod ipsi prior et fratres vel nuntius eorumdem poterunt ibidem super predicta pecia terre singulis annis, si necesse fuerit, de cetero in perpetuum suam plenariam justiciam exercere pro predictis quinque bussellis frumenti annui redditus, sine contradictione alicujus, nisi sibi ad terminum antedictum libere et pacifice redderentur. In

cujus rei testimonium perpetuum et munimen, et ut hoc firmum et stabile permaneat in futurum, presentem cartam sigillorum nostrorum munimine roboravimus. Actum est hoc anno gratie M° CC° LXX° nono, mense aprilis.....